

bis

quem unum omnes respexerant: instituit iam Christus sacramentū
planè novum & singulare, quod antea nunquam & nusquam in usū
fuerat: in eoq³ proponit nobis manducādum cum pane corpus suum
(quod antè fuerat adumbratum per carnem agni Paschalis) & bi-
bēdum cum vino sanguinem suum (qui per sanguinem agni Pascha-
lis fuerat præfiguratus) hoc fine, ut ipsius perpetuam memoriam cele-
bremus, agentes gratias tanto benefactori. Deinde verba Christi,
quibus hanc cœnam suam instituit, ferre non possunt metonymiam
illam sacramentalem: id quod abundè constat ex iis, quæ hætenus
disputata sunt. Firma stat igitur Conclusio nostra, metonymiam illā
sacramentalem in tota prædicatione consistere & approbari non
posse.

83. Restat posterior opinio, quæ dicit propositionem cœ-
næ esse impropriam Logicam. Ac profectò causa non bonæ in-
diciū est certum, nova subinde requirere fulcra, quibus innitatur.
Meritò igitur suspecta est cordatis viris sacramentariorum incon-
stantia, subinde novos colores conquirentium, quibus pingant suum
errorem. Tropo affectam copulam alii dicunt, alii prædicatum: alii
integram propositionem: & ita quidem, ut alii alios refutent. Sic Bu-
canus loc. 45. p. 693. prædicationem vocat figuratam: non autem in
singulis verbis seorsum & in se consideratis (panis enim, inquit, est
propriè panis, & corpus non allegoricum, non tropicum, non figura-
tum, multò minus spectrum aut phantasma: non item corpus mysti-
cum, quod est Ecclesia, aut signum corporis: non meritum Christi:
sed proprium Christi corpus denotat. Omnino enim verum corpus
Domini de vero pane enunciatur) sed in tota attributione. Quia co-
pula duo disparata coniungit: quam sic resolvere licet: Panis est sym-
bolum seu signaculum corporis Christi.

84. Sed rursus notandum (pergit Bucanus) non esse tan-
tū locutionem figuratam, metonymicam aut significativam (quia
languidiùs explicaret naturam mysterii) sed sacramentalem. Quia
simul exhibitio rei signata promittitur. Hætenus Bucanus, qui pau-